

Additamenta nonnulla ad floram bulgaricam.

Auctore: S. JÁVORKA (Budapest).

I. *Silene Urumovi* JÁV. n. sp.

E subsectione *Botryosilene* ROHRB., differt a *Silene longiflora* EURH. typica in Hungaria, Bohemia, Serbia, Romania nascente foliis angustioribus, inferioribus linear-lanceolatis, plus-minus glaucescentibus et scabridis. margine usque ad apicem scabrido-serrulatis, foliis caulinis fere subulato-linearibus. Caule etiam basi glaberrimo, fere a basi (an semper?) ramoso, ramis inferioribus elongatis, 1—4 floris, superioribus multo brevioribus 1—2 floris, supremis brevibus unifloris. Calyce ea. 3 cm longo (nec. uti in *S. longiflora* 2.3—2.7 cm). carpophoro semper 1.7—1.8 cm longo (in *S. longiflora* 0.9—1.3 cm longum); capsula carpophoro semper evidenter brevior (in *S. longiflora* aequilonga), 1.2—1.3 cm longa.

Crescit in graninosis siccis ad Sufandere montium Rhodope. ubi cl. I. URUMOV, scrutator florae bulgaricae indefessus 10. Jul. a. 1912. legit. Verosimiliter specimina bulgarica ab auctoribus sub nomine *S. longiflorae* nota saltem ex parte majore ad hanc speciem pertinent. Nec non hoc pertinet *S. longiflora* var. *junccea* BECK Fl. Bosn. Herc. (nec Roth).

Silene Urumovi sistit ergo speciem (si inavis subspeciem) *S. longiflorae* vicariam in Peninsula Balcanica imprimis in Bulgaria, ad occidentem usque in Hercegovina nascentem, quae in Dobrudsha, Bessarabia (circa Odessam) et verosimiliter in Serbia meridionali in *S. longifloram* typicam, in Graecia, Macedonia et vicina Bulgaria vero in *S. staticifoliam* S. Sm. transire videtur.

S. staticifolia S. Sm. nempe calyces quidem ea. 3 cm longos habet, sed rhizomate inerassato plurieauli, eaulibus humilioribus, simplicibus. 1—4 floris, foliis minutis, glaucis, valde angustis, scabris, nec non loco natali speciem vicariam Graeciae, Macedoniae, verosimiliter etiam partis Asiae minoris occidentalis sistit.

S. junccea Roth (= *longiflora* f. *junccea* OTTH. = *longiflora* var. *Seidlitzii* SOMM. et LEV.?) in Transcaucasia nascentis foliis angustioribus, inferioribus toto margine serrulato-vel ciliolato-denticulatis, calycibus ca. 2.5 cm longis, magis membranaceis, capsula carpophoro quidem breviore, sed minore (ad summum 1 cm longa). petalorum limbo sec. SOMMIER et LEVIER ad tertiam partem tantum partito a nostra planta recedit.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Ungarische Botanische Blätter](#)

Jahr/Year: 1918

Band/Volume: [17](#)

Autor(en)/Author(s): Javorka Sandor

Artikel/Article: [Additamenta nonnulla ad floram bulgaricam. 69](#)